

varie Apostolos usurpasse manuum impositionem, allegat *Becanus de vocat. ministror. lib. 1. cap. 12. §. 29.*

1. Ad sanandos ægrotos. *Marc. XVI, 18.*
2. Ad impertiendam benedictionem. *Matth. XIX, 13. Marc. X, 16.*
3. Ad felicem comprecationem. *Act. XIII, 3. 4.*
4. Ad Spiritum S. conferendum. *Act. VIII, 17. XIX, 6.*
5. Ad consequendum charisma in ordinatione ministrorum. 1. *Timoth. IV, 14.* 2. *Timoth. I, 6.* Ex his *Dn. D. Matthie in Syntagm. Theol. de minist. Ecclesiast. pag. 454.* triplicem colligit impositionem manuum: 1. *Oeconomicam.* 2. *Politicam.* 3. *Ecclesiasticam.*

§. XIIIX.

Fit etiam alicubi impositio manuum in promotione Doctorali, sed illa non eadem est cum ea, quæ fit in ordinatione.

1. *Promotio* fit vi potestatis imperialis (sec. Christianæ,) *Ordinatio* vi potestatis Ecclesiasticæ.

2. *Ordinatio* fit præsentem ecclesia; *Promotio* in Panegyri eruditorum.

3. *Promotus* renunciatur Doctor Theologicæ Facultatis; *Ordinatus* vero pastor certæ alicujus ecclesiæ.

4. Distincta sunt *Doctorem* & *Pastorum* officia. *Ephes. IV, 11.*

5. *Promotio* fit autoritate Cancellarii; *Ordinatio* a Presbytero 1. *Timoth. IV, 14.* per χειροτονίαν *Act. XIV, v. 23.* 2. *Cor. VIII, 19.* per ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, 1. *Timoth. IV, 14.* & per inaugurationem solennem ad certam ecclesiam. Clariss. noster *Gerhard. Tom. 6. de minister. eccles. cap. 3. sect. 11. §. 138. D. Tarnov. lib. 1. c. 25. Q. 6. pag. 376.*

§. XIX.

Pro χειροθεσία Ecclesiastici quandoque utuntur χειροτονία quia χειροθεσία ministerii præsupponit χειροτονίαν populi; Nam χειροτονείν significat.

B 3

1. Per